

**HISTORIA DIPLOMATICA**  
**FRIDERICI SECUNDI**

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT  
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT  
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

**J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.**

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

**H. DE ALBERTIS DE LUYNES,**

UNICUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS I.

PARS I.



**PARISIIS**

**EXCUDEBANT PLON FRATRES,**

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII. ω

brum perdatis vel mala sitis capti captione. Consilium quod mihi crederitis et contradixeritis ne illud manifestem, non pandam alicui ad vestrum damnum, me sciente, et bona fide adjuvabo vos honorifice papatum Romanum terramque Sancti Petri tenere. Quod si tu ante me migraveris ex hac vita, secundum quod monitus fuero a melioribus cardinalibus sancte Romane Ecclesie, adjuvabo ut ad honorem Sancti Petri papa eligatur et ordinetur. Hec omnia supradicta observabo tibi et sancte Romane Ecclesie recta fide, et fidelitatem etiam observabo successoribus tuis canonice inrantibus, qui mihi et heredibus meis, si in me non remanserit, firmaverint quod in privilegio tuo est mihi concessum. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei Evangelia.

---

Fridericus rex Siciliae fatetur se Innocentio tertio summo pontifici fidelitatem jurasse pro regno Siciliae; promittens quod accedet ad praesentiam papae ligium hominum praestiturus, et annis singulis censum sexcentorum squifatorum de Apulia et Calabria, quadringentorum vero de Marsia persolvat, electionesque secundum Deum canonice fieri faciet.

In civitate  
Messanae,  
februario.

(Hoc documento renovatur in omnibus articulis promissio jamdudum ab Imperatrice Constantia Innocentio tertio facta (vide supra p. 17 et seqq.). Sub ista quam nunc exhibemus forma, edidit ex regist. Innoc. III, BZOVIVS, *Annal. ecclesiast.*, contin. ad Baron., tom. XIII, p. 167-168, ad ann. 1211, § II.

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Reverendissimo patri et charissimo domino Innocentio Dei gratia sancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Inter universa que gerimus in desideriis nostris precipue, hoc principaliter affectamus ut vobis et sacrosancte Romane Ecclesie gratum impendamus obsequium et devotum exhibeamus honorem, ne unquam beneficiorum vestrorum, quod avertat Dominus, in-

veniamur ingrati, cum post divini muneris gratiam non solum terram, sed vitam per vestrum patrocinium nos fateamur habere. Licet igitur antecessores nostri clare memorie reges Sicilie Apostolice Sedi fideles fuerint et devoti, nos tamen tanto fideliores et devotiores ei desideramus existere quanto plura et potiora beneficia nos ab ea cognoscimus percipisse ac in posterum percepturos esse perspiciamus. Vos enim nobis et heredibus nostris qui in regnum successerint concessistis regnum Sicilie, ducatum Apulie ac principatum Capue cum suis pertinentiis universis, Neapolim, Salernum et Amalfiam cum pertinentiis suis, Marsiam et alia que ultra Marsiam debemus habere ac reliqua tenimenta que tenemus, a predecessoribus nostris hominibus sancte Romane Ecclesie jure detenta, et contra omnes homines honorifice manutenere juvabitis. Pro quibus omnibus coram charissimo amico nostro domino Gregorio Sancti Theodori venerabili diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, fidelitatem vobis vestrisque successoribus et Ecclesie Romane juravimus, sicut in duobus similibus capitularibus est expressum quorum unum penes nos vestro sigillo et alterum penes vos nostro sigillo aureo munitum habetur; firmiter promittentes quod quia presens presenti debet hominibus exhibere, quandocumque vos aut successores vestri nos in aliquam partem regni quam secure possimus adire ad vestram presentiam vocaveritis, accedemus ligium homagium prestituri, nisi certum impedimentum aut evidens necessitas intervenerit; quibus cessantibus veniemus sine fraude ad ligium homagium faciendum. Censum vero sexcentorum squifatorum de Apulia et Calabria, quadringentorum vero de Marsia vel equivalens in auro vel argento nos et heredes nostri vobis et successoribus vestris annis singulis persolvemus, nisi forte aliquod impedimentum intervenit; quo cessante census ex integro persolvetur. Electiones autem secundum Deum per totum regnum canonice fiant, de talibus quidem personis quibus nos et heredes nostri requisitum a nobis prebere debeamus assensum. Hec autem omnia sicut nobis, sic etiam heredibus nostris qui in regnum successerint concessistis, quique sicut nos vobis et successoribus vestris ac Ecclesie Romane fidelitatem facere queve prescripta sunt fideliter voluerint observare. Ut autem que supra diximus

tam vestro quam successorum vestrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, et nec nostris nec heredum nostrorum temporibus alicujus valeant presumptione turbari, presens privilegium per manus Bonihominis de Gaieta notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa precepimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in civitate Messane, anno dominice incarnationis M. CC. XI, mense februarii, indictione XV, regni [nostri anno] XIV.

---

Fridericus rex Siciliae, ne ulla de caetero inter se et papam super electionibus celebrandis dissensio suscitetur, modum et ordinem electionis in posterum faciendae diffinit, ita ut nec canonicam libertatem nec dignitatem regiam laedat.

In civitate  
Messanensi,  
februario.

(Edder. RAYNALD., *Annal. ecclesiast.*, ad ann. 1211, § V. — BZOVIVS, *Annal. ecclesiast.*, t. XIII, p. 168. — LUNIG, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 866. — GALLO, *Cod. eccles. Sicolo*, lib. II, p. 77. Cf. supra epistol. Innocentii III, p. 19 et 20.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Reverendissimo patri et domino charissimo Innocentio Dei gratia sancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Ne ulla de cetero inter nos et successores vestros et nos vel heredes nostros super electionibus celebrandis dissensio suscitetur, que nonnunquam inter Ecclesiam et regnum rancoris et indignationis fomitem ministrabant, modum et ordinem electionis in posterum faciende presentibus litteris curavimus explicare; in quibus sic canonicæ libertati deferimus ut dignitatem regiam non ledamus. Sancta Sede vacante, capitulum significabit nobis et heredibus nostris obitum decessoris. Deinde convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia, secundum Deum eligent canonicæ personam idoneam cui requisitum a nobis prebere debeamus assensum, et electionem factam non different